

III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 62.

*Secretum litterarum Comm retum inter Vivos
et vita functos.*

Achmeti Primo, Turcarum Imperatori.
Ex mundo superiore.

Elysium-Meum.—Die Veneris 8 Sept. 1809. (Neov. 22 Aug. 1809.)

Stator eras magnifici templi Achmetes! omnes
pii Muselmanni grata adhuc memoria religio-
sitate[m] prosequuntur tuam. Verum Politici,
Purpuratorum Collegium (Divan), historia im-
perii tui? — omnes queruntur & accusant
politicam tuam; hodierna, ajunt, Imperii
Turcici adjuncta naturalis effectus sunt politi-
cus tuæ imprudentiæ.

Hodie genius Seouli noni decimi fulgidam
Portam in ratione *Russiae*, & *Galliae* docen-
te ratione adumbrat. Imperator, ita ait, Tur-
ciæ elegantissimas fertilissimasque orbis par-
tes tenet, verum Anarchia, quæ in eo domi-
natur, urbes & oppida ad statum paupertatis
deduxit, & arva desolata reddidit. Non ob-
stantibus cunctis devastationibus, quas bella
civilia, pestis morumque protulit licentia,
habitant in hoc Imperio 25 miliones diversa
producta colentes, occidentalibus utilia, &
varias necessitates habentes, quibus Euro-
pæorum |Manufacturæ & Fabricæ providere
possunt. Quapropter Turcia admodum fer-

tilis pro Europæis Commercialis Status est, idoneus tam mercibus multis exportandis, quam amplis emolumentis percipiendis; et enim: ut ut res mira videatur, teloniales, Europæis pendendæ pro mercibus importatis, præstationes in dittonibus Turcicis leviores sunt iis, quas subditi Turcici pendendas habent, quo fit: ut eorum commercium excitetur, & faventius reddatur, quam Turcarum. Europæi solvant 3—5, subditi contra Turcici 5—20 pro Cento.

Turcico Imperio metropolis, cui intuitu situs nulla totius orbis similis. In finibus duarum ferulium orbis partium, duobus maribus dominatur, præstque viæ commerciali ad elegantissimas, & productorum feracissimas regiones. Cujus Status commercio Ports favet, is ampla emolumenta sperare potest.

Quamdiu Turcia tam inculta, deses & fastu prædita fuerit, quam hodie est, quamdiu Status hic in hodierna infirmitate & inertia fuerit, duo potissimum Status rationem habent, ejus regimen moderandi, & a se peadens efficiendi, hi sunt: *Russia & Gallia*. Illa tenet fertiles ad mare nigrum provincias, quæ cum copiam productorum largiantur, quibus consumendis impares sunt, proin exportent, *Russiae* interest Constantinopoli dominari, & tam liberum transitum per fretum Thracicum, quam Dardanellas obtinere, & vindicare; suaque producta in portibus maris mediterranei deponere, proque iis aut alias merces & producta permutare, aut parato ea

aere vendere, quam Insulis maris mediterranei, & adsitis ei provinciis dominari. Qui belli tempore Classem in mari mediterraneo habet, is toti ejus commercio imperat. Russia optat hæc emolumenta potissimum *exclusive* sibi asserere, & quamdiu Porta viribus, & auctoritate destituta, ab ejus auctoritate, dependerit, tamdiu id ei succedet quoque. — Huic dominatui in Turciam Russiae hæc cum primis favent commoda: 1) Ejus situs. Russia per amplum terrarum tractum contingit Turciam, proin hunc Statum in multis locis afficit metu. 2) Ejus cum Turcis bella, in quibus a seculis Russi victores, & quovis bello provincias iis ademerunt; quo factum: ut Russos adeo metuant, ut hi solum minari debeant, jam ii cunctis postulatis eorum deferunt. 3) Propensio & amica ratio quorumvis *Græcae Ecclesiae* addictorum; hi opi Russiae confidunt, speque tenentur firma: ab iis a jugo & servitute multorum seculorum liberandos esse. Numerus Græcorum in sola Turcia Europæa 4 *milliones* adæquat. 4) Vicinia & amplitudo suæ *Classis*. Intra 24 horas, faventibus ventis *Classis* Russica Constantinopoli consistere potest, quæ res semper adversa est, dum metropolis alicujus Status amittitur.

Ex his patet: quibus potentibus mediis Russia dominetur Turciæ; at una intelligitur: quanti ejus intersit, auctoritatem hanc in Imperium Turcicum conservare, neque admittente, ut ulla tertia potentia ei se immisceat.

quod tam *ratio status*, quam *auctoritas & vires* per hoc periclitarentur.

Aemulus *Russiae* in dominando Imperio *Turcico* est *Gallia*; *cujus* *Commercium* in ejus provincias singulariter extensum, & lucrosum est. *Lucrum Galliae* ex eo annis singulis multos *milliones* efficit. *Præterea* amplam exercebat *veſtiram* in *Oris Turcicae*, *producta & Fabricata* ex una urbe ad oram in aliam *transvehendo*, quo factum: ut non modo *homines occuparentur*, sed & *copiam exercitatorum remigum* *Gallia* obtineret. *Quamdiu* *Turcia* ab alio *Statu*, quam *Gallia* *dependet*, ipso *pacis tempore & Commercio & navigatio Gallorum* ad *ditiones Turcicas*, si non *impedita*, non tamen adeo *lucrosa*, quam *alias*. *Russi Græcique* *luero hodie intercedunt*, quod olim *Galliae* soli obtigit, quod si hæc *rem* eo *deducere* posset, ut *Portæ* *dominetur*, & a se *pendentem* efficiat, tum *transitum* *Russorum* per *Bosphorum & Dardanelles* admodum *precarium* reddit; imo id *prohibere* potest *pro lubitu*, & *emolumenta* *Commercii* sibi *tribuere*. *Verum* *Gallia* de *præſenti* nequit adhuc ea *vi & efficacia* *Decreta* *Purpuratorum Senatus* (*Divani*) *moderari & definire*, quemadmodum *Russia*. In *Dalmatia* illa quidem *confinaria* est, at *populi Dalmatiam* *contingentes* ipsimet *parum de auctoritate* *Portæ* *solliciti* sunt, quo fit: ut hæc *actionem* *Galliae* minus sentiat, quam *Russiae*, ex *religiosis* *motivis* ad *summum* *Rao*. *Catholici* *Gallis* *favent*, & *usque* *Gallia* *amplam &*

potentem Classem non erexerit, ministris Portæ in eo gradu quo Russi *imponere* nequit.

Fœdus M. Britanniam inter & Portam postremæ nulli usui est. Ex duobus prope seculis Gallia fidelissimus erat & naturalis fœderatus Turciæ, Sola Gallia operam dederat, & solius Galliæ ejus conservatio intererat; quare Galliæ rationi status adversabatur, Josephum Imp. Crimæam Russis procurare admissam fuisse.

At Russia præcipuus Portæ hostis est. Dum Polonia consisteret, hæc instar intermedii parietis Russiam & Turciam intercessit; ex tempore novissimæ Poloniæ divisionis Porta præsidio intermedio destituitur, estque Russiæ contermina. „*Erigendus est (ita scribit magni nominis ea ætate Politicus) intergerinus murus Russiam inter et Portam in Moldavia et Valachia, et hæc provinciæ potenti vicino dandæ, ut eam pro communi ratione status conservet.*”

Has meditationes in hodiernis pacis tractationibus suscitandas probabile est, Porta ab Anglicana auctoritate liberabitur, & ejus securitas stabilietur.

Interim Anglicana ad Selandiam expeditio notabile objectum est, quo attentio in historia hodierni temporis excitatur, & quod communem materiam præbet discussionis. Officiosa 17 hujus paginæ hæc continent;

Postremæ de 12. hujus litteræ Antverpia contiaent Summam eventorum novissimorum, utpote: die II denas anglicanas Fregatas

transitum ad Vliessingam extorsisse; adversus Scaldinque cum 150 circiter minoribus navibus navigasse — hanc Clasticulam ad *Ter-Neuwe* aliquam militiam oræ exposuisse, at recedere, nauesque rursus conscendere coactam, ultra per Scaldin ascendisse. Munimenta ad Offensisse, S. Annam &c. terribili igne eas impetiere, prohibere nihilominus non poterant, ne Clasticula infra Castrum Batz considerat.

Nuncium de deditioe Vliessingæ die 12 falsum erat, quamvis adjuncta ei adnectuntur, quæ fidem præbuerunt. Certo ex fonte asseverare possumus: die 15 hujus aggressiōnem loci susceptam, & 16 adhuc continuatam esse. Binis vicibus incendium in urbe eripit, pars Curie præda flammarum facta. Certis ex nunciis Antverpiæ de 15. constat: Gallicanas ante Vliessingam copias urbem ingressas esse. Pridie ante 11 hostiles lineales Cataractas Vliessingenses penetrarunt, urbem balistis impetierunt absque tamen detrimento. Antverpiæ, ad quam continuo novæ copię adpulerunt, omnia quieta. Princeps de Ponte Corvo, qui ab Imperatore Napoleone supremo imperio admotus, in horas expectabatur. Munimenta Brielæ, & Hellevoetsluis in optimo statu sunt. Omnes accessus ad hæc duo loca oppellulati sunt. Insula *Voorne*, ad quam Gen. Dux a *Helden* copiis præest, bene provisæ est. Jam ad exteriores Cataractas e regione Villemstadi terribilia munimenta erecta, Batava Clasticula continuo stationem ad Krammer susti-

net. Ad Haringoliet, & in aquis inter Flakke & Doivenlandiam nulla adhuc hostilis navis visa. Dorderaco scribitur: Ibidem die 15 & 16 horrendum tormentorum sonum auditum qui usque in matut. 9 horam durabat, Vliessinga venire videbatur.

Hostis cōpiam armatarum navium in utraque ora Scaldis habet, qua nobis prævalet, impeditque quo minus contra Insulas Sud Beveland & Walchriæ ex parte Continentis aliquid moliri possimus, at patientia! adventat æquinoctium! —

Quamquam exercitus numerosi ad Scaldim consistant, cessandum nihilominus non est a prosequendis militaribus præparationibus. Rex jussit provincialem militiam erigi, quæ soli patriæ defendendæ impendetur; ex voluntariis nationalibus conflata, neque unquam limites transgressuram; quo pacto sperat Sua Maj. brevi completam futuram, quod unicus ejus scopus, quem quisvis probus Civis velut primum emolumentum nationis, & officium subditi considerare debet; usque quiescendum non est, quo prov. Selandia recuperata non fuerit.

Vindobona 14. Aug. Operarum incuria adparandis festivis ignibus pro crastinis solennibus occupatorum, vasculum pyrio pulvere repletum succensum, omnisque laboratorio contenta penus in auras ejecta. Multi sauciati partim enecti; ipsum ædificium accensum, periculo ob vicinam pulveris amplam penum non levi. Adnitente Gallo milite ignis brevi sopitus. Crastino, utpote natali Imp. Napoleonis plura solen-

nia adparantur; singuli de grege 50 num. Colon. vero pecunias pro excipiendis Convivio legio. nis suæ officialibus obtinebunt. D. Gen. Gub. C. *Andreossy* Convivium pro 200 personis, D. Gen. Intendens pro 80 adornari jussit. In Eccl. Metrop. ad S. Steph. solennis Hymnus Ambros. decantabitur, Civitas interna & externa collustrabitur. Heri mane D. Cons. Secretæ aulicæ & status Canc. ab *Hoppe* Ovarium concessit, ubi Colloquium DD. Ministrorum utriusque Cæs. Maj. locum habiturum dicitur. Secundum relationes Tergesto Anglicana Classis ejate mari decessit.

Ephemerides Pragenses de 4. hujus prolixum texunt Elenchum patrioticorum munerum, & sacrificiorum, ab omnibus Imperii Aust. Statibus continuo suppeditarum, & eum his verbis concludunt. Quisquis tam multiplices oblationes secundum internum valorem æstimandi capax est, quæ in omnibus provinciis Imperii pro Conservatione felicitæ nexus factæ sunt, gloriosæ assertioni assentire cogitur, populum Austriæ amore in patriam, grata agnitione prærogativarum, invidia dignarum, originariæ Constitutionis suæ, nulli nationi cedere, acerbissimaque indignatione abominationeque vel cogitatione mutationis in fraterno hoc nexu eos affici, eamque effectum certum producuram: ut omnes vires ad avertendum tam sinistram fatum intendant, suamque Confoederationem ab partiali, aut integra destructione eripiendam.

B I O G R A P H I A.

Achmetes I Turcarum Imperator obiit 1617 exacto sat infelici regimine, curavit magnificum in foro equestri Constantinopoli templum erigi, quamquam nullas novas occupationes fecerit, nec per consuetudinem, nec Consiliis summi Sacerdotis (*Mufti*), a sententia se dimoveri passus est.